



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCCXXXIX. De Destructione Ducatus & Civitatis Dobrinensis, &  
occisione & captione IX. millium Christianorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

**H**oc anno tertio die post festum B. Gregorii Papæ, Lethovvi. ni de Samechia cum exercitu suo expugnaverunt Civitatem Memelam & unum fæcerdotem fratrem Ordinis domus Teutonicæ occiderunt. LXX. quoque homines in ea ceperunt, quorum quidam interficti sunt, alii in captivitatem perpetuam deducti, ipsam Civitatem & tria circumiacentia Castra neophytorum, cegas & naves alias, & quicquid igne consumi potuit præter solum Castrum in quo fratres habitabant in cinerem redierunt.

### CAP. CCCXXXIX.

*De*  
**Morte fratris Friderici Quitz & va-**  
**statione territorii V Vilovv.**

**I**n vigilia B. Petri ad vincula anno prædicto Lethovvini intraverunt terram Sambiae & in territorio Wilovv sex villas combusserunt, & fratrem Fridericum dictum Quiz virum audacem & in armis strenuum & XXXVI. viros interficientes, mulieres & parvulos cum præda alia deduxerunt.

### CAP. CCCXXXIX.

*De*  
**Destructione Ducatus & Civitatis Do-**  
**brinensis, & occisione & captione IX. mil-**  
**lium Christianorum.**

**I**n die exaltationis Sanctæ Crucis ejusdem anni Lethovvini videntes, quod omnia succederent eis ad votum, congregato iterum exercitu valido venerunt ad Ducatum nobilis matronæ Duciæ de Dobrin, & sex millia hominum utriusque sexus, alios

erucidando, quosdam vero ad perpetuam suæ gentilitatis servitutem miserabiliter ducendo interemerunt; Præterea septem Sacerdotes plebanos & duos fratres Ordinis S. Benedicti, & cum his omnibus sexaginta Clericos, tam ordinatos, quam inordinatos, extra & intra (a) scholæ loca repertos occiderunt. Item X. Parochiales Ecclesias ad capitalem dicti Ducatus Civitatem, distam Dobrin, captis & occisis in illa duobus millibus Christianorum, & cunctas Ducatus villas per incendium vastarunt. Insuper & cum damnis præfatis tot & tanta diversarum rerum spolia abduxerunt, quod Christi fidelibus in perpetua gentilitatis servitute permansuris dicti Ducatus terra damna memorata (lugubri memoriâ bene digna) vix, aut nunquam, potuit recuperare; & indubitanter formidandum est & dolendum, quod per dicti Ducatus anni hilationem patebit aditus infidelibus ad Christianorum terminos contiguos & vicinos. Ecce quanta mala fidei Christianæ & fidelibus infra spacium unius anni & dimidii sunt exorta, quia ferè XX. millia hominum Christianorum ab infidelibus occisa & inservitatem perpetuam sunt deducta, & multæ Civitates & Castra penitus sunt destructa.

## ANIMA DVERSIO.

(a) Antiquitus in Ecclesia Christiana ipsi Episcopi in Scholis juventutem instituebant. Illustris olim fuit Schola Alexandrina, in qua docuerunt Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & alii plurimi. Similiter Cesarea in Palæstina fuit Schola cujus Præses Origenes, Pamphilus aliquique fuere. Sic etiam Anatolius Laodicenus Episcopus Aristotelicam Scholam instituisse dicitur. Nicceph. lib. 5. Hist. Eccl. cap. 36. Gregorii Nazianzeni auditores fuere S. Hieronymus, Evagrius &c. Diodoro Tarsensi Episcopo in Ecclesia divinas literas profitente, accurrebant discipuli Joannes Chrysostonus, Theodorus qui deinde Mopsuestæ Episcopus fuit, Maximus Episcopus Seleuciae, alii. De Eusebio Emisseno Vid. Chrysost. in Psalm. 49. De Ablavio Niceæ Episcopo, qui Rheticam docuit in urbe Vid. Socrates lib. 7. Hist. Eccl. cap. 12. Ex re-

Ddd 3

sentio-

centioribus pertractant hanc materiam fusè, Centuriatores Mag. deburgenses per singula Secula, & Ludovicus Crefolius in *Mystagogo lib. 2. cap. 13. sect. 13. pag. 277. seqq.* Postea Episcopis hoc onus subterfugientibus in Monasteriis solebant Scholæ institui, ut præcipit Carolus M. in *Capitular. cap. 72.* Multa hic cumulare exempla opera non est, cum alii hoc jam præstiterint. Dusburgius etiam hoc testari potest, qui Clericos in Scholis trucidatos esse refert.

## CAP. CCCXL.

De

*Morte quorundam Lethowinorum.*

**H**oc etiam anno tempore messium frater Henricus Comendator de Tapiovv cum octo fratribus & CCC. viris equitavit ad Campum (a) Semegallia, qui ex oppositò Castris Pastroviæ situs est, & messiores (b) Lethovvinorum quos quæslivit non invenit laborantes, propter tempus pluviale receptis ergò XXXIV. equis, rediit. Sed Lethovvin sequentes cum venirent ad locum, ubi fratres posuerant Insidias, unus missâ sorte secundum ritum gentilitatis clamavit altâ voce: Ciro revertamur insidiæ Teutonicorum fratrum sunt hîc. Quo auditu dum Lethovvni recederent fratres de insidiis exilientes sequebantur, & ex eis XII. occiderunt.

## ANIMADVERSIONES.

- (a) Provincia hæc ultima est, quæ restituit Ordini Teutonici in Livonia. Singuli enim ferè Magistri Livonici in Semgalliam expeditiones suscepisse leguntur, usque ad Conradum ab Herzogenstein, quem circa An. 1288. Semgallos sub jugum misisse refert Balth. Russovv. *Part. II. Chron. Livon. pag. 30.* Sed ex hoc loco Dusburgii colligimus, etiam post tempora Conradi illius Semgallos rebellasse.
- (b) Lithvanis sese Curoni & Semgalli subjecerunt, ne ab Ordine Teutonomico Religionem Christianam suscipere cogerentur. *Vid. Notas ad cap. LXXXI.*

CAP.